

quam moles ingens, sicuti microcosmus absque igne vitali sive anima, concidat; hic ignis sive spiritus igneus vitæ terræ & aquæ, à Zoroastro Prester dictus, causa est efficiens media, generans, segregans, digerens, sublimans, uniens, corrumpens, terræ & aquæ, ac consequenter omnium concreatorum salium, succorum, mineralium & metallorum sive materiæ miscibilis, quo mediantibus instrumentis, scilicet hydrophylaceis, aërophylaceis, Pyrophylaceis, horumque ductibus, meatibus, syphonibus & innumeris cavernis sive incilibus atque terræ poris, pro mineralium, metallorum, salium, succorumque contenta diversa materia, sicque ex causis diversis, infinita aquarum ac fontium oriatur diversitas.

Distin-  
ctio  
fontium  
genera-  
lis.

§. 3. Generaliter vero commodissime restrin-  
gi possunt fontes & aquæ in NATVRALES & COE-  
LESTES, sive dote cœlesti superbientes, iuxta Do-  
ctiss. Kircherum: NATVRALES, sive secundum  
ELEMENTARES virtutes naturaliter differentes,  
sunt secundum miscelam vel spirituales vaporosam  
sive invisibilem, vel secundum corporalem sensibilem  
sive visibilem ex hydro-aëro-sive Pyro-phylaceis,  
vel succis, salibus, mineralibus, metallis, terrisque di-  
versissimi, salubres & insalubres, ad hucque ob instru-  
mentorum infinitam varietatem undiq; varii, peren-  
nes & ad certum tempus tantum fluentes: ultima sub-  
serie sunt aquæ sive fontes, non a certis ductibus &  
per-

per-